

PANEGYR
SERENISSIMO

POTENTISSIMO.

AUGUSTO II.

REGI POLONIARUM,

MAGNO DUCI LITHVANIÆ,
RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIAE, SAMOGITIAE,
LIVONIAE, KHOVIAE, VOLHYNIAE, PODOLIAE,
PODLACHIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, CZERNIEHOVIAEQ;

NATO DUCI SAXONIAE,

JULIACI, CLIVIAE, MONTIUM, ANGRIAE, & VESTPHALIAE;
S. R. IMPERII ARCHICAMERARIO, HIMARÉSCHALLO,

atq; LECTORI;
LANDGRAVIO THURINGIAE, MARCHIONI MISNIAE,
SUPERIOR & INFERIOR PRINCIPALITATIS; BURGGRAVIO
MAGDEBURGENSI; COMITI INFERIORIS RAVENSBERGAE &
PARBII; DOMINICI; FRISTENII, &c. &c.


Sacro Solenniq; Inaugura
tionis Regalis die,

M. MARTINO OSLINSKI,
Canonico ad S. ANNAM Cracovia, Collega Majore,
Tyliciano Eloquentia Professore,
è VOTO LÆTITIÆ PUBLICÆ

CONSECRATVS.

A^{no} Domini, 1697. Die 15. Septembris.

CRAKOVIAE, TYPIS VNIVERSITATIS.



PANEGY



Ognata Superis Regum p
stas, augustior inter mortales ipsi
Numinis vicaria celsitudo: soliusné
esset æternæ indulgentiæ, cuncta be-
nè ac sapienter librantis opus & mu-
nus, par magnæ virtutis præmium; si dubitavit ad-
huc; jam, quod omnis cogitet memoria, loquatur
posteritas, ex Te, insigne capiat orbis documentū:
SERENISSIME, ac POTENTISSIME REX.
Equidem supra humanum est ingenium, supra oc-
cultam prisca creditam superstitioni factorum vim:
non astris, aut cæco fortunæ arbitrio referendum:
è voto Libertatis aureæ, tot panè Regibus, quot
Quiritibus, Principem ac Regem haberi. Tam de-
cora imperandi ratio soli calo debetur; seu poten-
tiæ, quæ fato, onniq; fortuna major; arcanis mo-
deratur legibus orbem: hinc primum suffragium,
alterum à Libertate vltro exegisse Te, liquido con-
stat; cujus excelsum animum illa occupaverat co-
gitatio, ut malles Regiè agere, quam nomen Regi-
um præpostero ambitu quærere: dignus vel idco
cui se Polona Libertas crederet. Divorum proge-
nies, Heroum comes & socia, inclyta virtus, quan-
tam vim vbiq; exerceat, etiam dum in oculos non
incurrit, in Te luculenter approbat; qui priusquam
imperare voluisti, in tanto animorum æstu, solà
Augusti Nominis fama potens jam exercuisti in vo-

ium. Mos iste est altissima.
brâ ipsâ de longinquo placere:
olem Solis aptius referunt, qui eti-
cum non adest, jam suavissimam lucis vsuram
lulgenter dispensat. Imò secretissimum istud
cæli arcanum, diligi sine illicio, eligi sine cura; evo-
lutum in Te nuper, festivo hodie celebramus gau-
dio; & TE REGEM Nostrum Divinitus constitu-
tum gestientibus animis celebramus: ut armorum,
ita animorum vices flectere ac moderari probè sci-
entem; nullo Libertatis dispendio, vel periculo.
Divinior indoles gloriam meritis, non probro ve-
stigans, tam dedignatur servile obsequium; quàm
horret novum illud Japeti genus, quod cum impe-
rij spem altissimè imbiberit, malis artibus ambitio-
sum, audax humana, Divinaq; Naturæ & sanguinis
subvertere jura, ruit cum Julio vel Tullia per veti-
tum nefas; ut sævam, omnibusq; affectibus ferven-
torem expleat dominandi cupidinem: tam nobi-
li eventu, quàm consilio; ut non immeritò fameli-
cos regnorum Tantalos dixerimus, aut terrarum
Phaëtontes.

Heroum Te insistentem semitæ, quâ solâ Vir-
tus ad verum ducit Honorem; nec ideò Philippi
Macedonis, aut Numidarum prava jubentium, rea
Majestatis labe aspersum; purum animo, non auro
CANDIDATUM, Regina suspexit Libertas: quam pri-
scus illibatusq; Gentis candor, non multiplex Po-
lyporum versura; serena sine fuce gravitas, non fi-
mulans pia pectora vultu, personata probitas: infi-
gne magnarum mentium decus modestia; non am-
bitiosæ libidinis impetus, aut prætumidus fastus ad

immo-

immodica vota excoctus; tantum
grandior: non ista dehonestant
omnium virtutum concentus; pelle
it,; ut auream regni fortunam, per tot secula
etricibus laureis, trophæisq; multipliciter ornata,
sanctèq; cultam; ad Te, ex voto & more antiquo-
rum Imperatorum prona deferret.

At quanta hîc Tua moderatio, ô REX! repu-
tantis, quàm arduum sit, in tam præcelso, sed lubri-
co rerum stare fastigio: iustissimis Regni conatibus
quàm proclive erat obluetari? nisi publica salus capa-
cissimum cuiusvis fortunæ, paremq; animum vicif-
set: atq; pervicit ut admitteres tantæ Reipublicæ
curam; pro magno Atlante, suppar Hercules or-
bis fata sustentaturus. Neque suscipere magis, quàm
servare Imperium, fuit Tibi studium; cùm non Te
abripi eò fortunæ passus es; verùm blandiore usus
hâc aurâ in novam animorum illecebram, deside-
ria populorum produxisti; ut vota liberæ vocis, &
iura gentis, pulcherrima cunctatione solidares;
tranquilla cupiens omnia, quæ tempestas excepit;
Optimi Principis elogio dignissimus, qui prius con-
stitueris occupare Civium animos benevolentia,
quàm Solium maiestate. Quàm ex æquo felicem
Rempublicam, felicem Te prædicabimus! alternas
has voces votis publicis, flagrantissimis populorum
studijs, Divina in Te beneficia adorantium; nec hu-
manitùs, sed Divinitùs culmen hoc Regiæ dignitatis
ijs virtutibus, quas amat Polonia, obtigisse, non ir-
religiôsè colentium, ingeminabimus: bene de pro-
gressu sperantes, qui tam beneficum spectamus, ex-
perimurq; ingressum.

13 41
iterationem animos, quos magna
iô provocâsti, ac velut exoriens
abus, inter diversos affectus, publi-
cæ felicitatis auctoramento abundè recreasti; in-
censum non vocamus: quantam ingenijs, quam in-
gens tormentum admoveris, Tuas laudes dicere,
scribereq; volentibus, videant sanè alij, dispiciantq;
pleniùs: mihi in maiestate, quam collectæ vndiquè
gloriæ immensitas auget, defixo, ad mensuram pro-
priae exilitatis facilis coniectatio. Grande tamen
piaculum foret, non ferendus rubor, in communi
plaudentis Poloniae lætitia, in ampla dicendorum
copia obmutescere. intempestivum sanè, neq; ami-
cum Musis istud silentium, si publicæ felicitatis vota
nullam sibi dicunt legem. Succumbat satius omnis
dicendi ars, quàm ingrata humaniq; sensus. expers
censeatur; illustre præsertim, omniq; ævo memo-
randum nacta argumentum. Enimverò tam no-
biles curæ acuunt, quoscunq; vel decora secernunt
populo ingenia, vel docta Pallas multâ insignes red-
didit arte, vel potens eloquio Suada suo imbuunt ne-
ctare, ut cantantes sublime ferant ad sidera Cygni.
Felices animæ, cara Dijs pectora, quorum sub in-
cude docta, pulcherrimum fervet opus, & Phæbo,
& tanto PRINCIPLE dignum.

Celeberrimus hic dies, faustis ut integer eat suc-
cessibus, omnes jubet mæstitiæ insignia ponere,
non ita de se meritam esse Fortunam regni, ut ab
illius familia abeant: ubi ne minimi quoq; ac infimi
à iusto absolvuntur lætitiae titulo, triumphoq;. Re-
voco cunctantem imbellis & umbraticus ego ani-
mum; non adulta facundiæ nixum firmitate; sed stu-
dio,

dio, candore, pio affectu infu-
tamen timori; sed quem in admiranda
Tuarum, R E X, intra conscientiam, boni
mitatis, nihil tenerius arguat, quam pii laboris offi-
cium, impia taciturnitate corrumpere. Supra vires
quidem meas est, adæquare eloquio tantæ Maie-
statis amplitudinem; agnosco solidissimarum virtu-
tum, verè Atlanticum apud Te dicere volentium
pondus: sed non infra summæ bonitatis commen-
dationem, quâ non audentes incitas; exprimisq; ad-
mirandum imperatricis naturæ genium, sive benefi-
cium; quæ dum se maiestatemq; suam ad res planè
minores cogit, in angusto angustissimum sui præ-
bet spectaculum. Porro ne inopem tanta laudum
copia perdat; de multis pauca, jam pro meis viribus
multa, hac perstringam oratione; non aliter ac qui
vastum terrarum orbem unius tabulæ angustijs in-
cludunt; detrimento quidem magnitudinis, nullâ ve-
ritatis iniuriâ. Si neq; hoc impari conatu exprime-
re sufficiam; Divina in Te beneficia contemplantur;
quibus humilis adoratio, non affectata debetur ora-
tio; iungam tamen utramq; pio nexu, procul à spe-
cie adulationis; satis felicem fortunatamq; futuram
casu, dum ante Regem meum iacuerit.

Immensitatem laudum Tuarum, R E X, omni
magnarum virtutum & fortunæ paratu circum-
datam; ex indole ac sensu Maiestatis, quæ semper
brevis sermone gaudet, longo triumphorum pro-
cursu: ad examen nihilominus argumenti, quod ma-
gnarum rerum magna vendicat compendia; ut La-
conum absolvam more & stylo; REGEM Te P O-
LONIÆ supplex adoro. Polona gens firmum

tis domicilium & sedes: quam antiquiorem, à Magnis relictam, hæreditatem, intactam à prima origine per omne ævum incredibili laude conservat; ac velut sacrum, cælo demissum perennaturi imperij pignus continua successione ad posteros transmissum, religiosissimè custodit: in turpe servitium deiectionis orbis vel pudorem, vel invidiam. Sub eadem tamen æqualitatis lege, in æquali tuendæ libertatis cura; unum summa cum auctoritate sceptralibrantem amat Principem; quem parem quibusq; Maximis faciant virtus & dignitas. Hic labor, hoc opus, cum in suffragia itur; necdum enim immortales licuit habere Principes; ne uno avulso, deficiat alter; malò Republicæ. Quod gentes paulò cultius ad humanitatem efformatas bene habet; etiam generosa Polonorum pectora laceffit; ut in subvehendis ad Imperij gubernacula Principibus, claritatem sanguinis, vetustæ magnitudinis decoraprospiciant: non tantum turpiter parere dedignantium, si ex abiecta humilitate fungorum instar una nocte enascentium, ad sublime fastigium evecti accedant; sed etiam rem indignam arbitantium decus imperij labe natalium polluere. & quod magis in animum descendit; quia optimus quisque & maximè idoneus scepro censetur, quem transfusa à Majoribus naturæ quadam propagatione nobilitas illustravit, indubitatum excelsæ mentis maximarumq; virtutum argumentum. Prævivere in exemplum; antiqua libertatis & fortitudinis Patria, Lacedæmon, illaq; altera potentiæ sedes, celebratissima Parthorum Republica; non alium hæc, quàm Arfacidam;

non

non alium illa, quàm Heraclidam
ut generis, ita virtutis indivisæ præno
quoq; apud Albanos; Ptolomæi apud ~~Ægyptios~~,
Nicomedæ apud Bithynios, Tygranes apud ~~Assyri-~~
os, (tacebo alia Nomina) semper habuere. Non
ludit Polonam mentem indigna illa Divinitatis fal-
sâ imaginatione vsurpatio; quâ se Ioves Hercules-
vè dici nonnulli voluere, plaudente assentantium
turba: alioqui Veioves regnorum, nec nisi monstra
coronata habiti. Vim illa quandam Divinam cæ-
litus per aureas alti sanguinis venas transmissam in
suis desiderat Principibus; amabilem subiectis popu-
lis, formidandam hostibus, omnibus colendam.
Planè ut gerant animum, artemq; & Cives feliciter
suavi imperio regendi; & hostes fortiter iusto bel-
lo vincendi. Tam pretiosi uniones, pulchra & fir-
ma, ne dividantur, adunati vnione; miro sympathiæ
prodigio felicem enituntur partum: in orbe subie-
cto pacem & securitatem: in cordibus Civium amo-
rem & fidelitatē: quòd certè tam gloriosum in suos
Principes obsequium, Gentem Polonam nulli facit
secundam.

Non est cur ad retroacta in Regno nostro respi-
ciamus tempora; felicitatis istius anxie semper quæ-
sitæ, Divinitus hac tempestate nobis concessæ facti
compotes; cum Te REGEM Nostrum talem ha-
beamus, qualem Patriæ, temporumq; poscit for-
tuna. Si bella centum stipata furoribus urgeant;
Martem Te invictum, belli fulmen, hostium ter-
rorem: si pacis studia poscant; Religionis columen,
blandam spem regni, delictum generis humani: Li-
bertatis tutamen & amorem, Orbis Christiani de-
siderium, tam in pace, quàm bello: non falsis Tu-

præstigijs illusi; sed publicæ læti-
firmitati: non ex numerorum Babylo-
norum compositione; sed ex certissimo maxima-
rum, quia Regiarum virtutum indicio; non exspe-
ctamus modò, sed spectamus etiam; quibus irretor-
to Solem hunc respicere oculo non est negatum.
Ne diu in augusto Sanguine quæreremus Augu-
stum; Tuum nobis commodasti nomen & perso-
nam, SERENISSIME REX AVGVSTE,
Magnis non minor Maioribus; qui hodiernum tri-
umphum denso circumfudunt agmine: nec Tu ma-
gnitudinem eorum deprimis vel minuis, quinimò
magnificentissime auges: quod unum ad immorta-
lia SERENISSIMÆ DOMUS SAXONICÆ de-
cora, & fastigiū gloriæ deesse videbatur; Regni Po-
loniæ insignia apponens, solenni jam ritu REX in-
auguratus. Quam diu laborabant secula, ut desti-
natum cælitus REGEM SAXONEM haberet Po-
lonia! nec habitura, nisi Te Magnum AUGU-
STUM, evolutus fatorum ordo nostris tempori-
bus produxisset; dilata desideria tam insigni pignore
compensando; ut tantò illustrior prodires, quantò
ab augustiori petereris fonte. Nimirum hæc Te na-
scentem excepit felicitas, ut quidquid magnum au-
gustumq; sub utroq; solis cubili orbis adorat, vel su-
spicit, cunas Tuas ambiret; in certitudinem futuræ
magnitudinis. Tota Augusta Maiorum series; ma-
ximorum Principum, Regum & Imperatorum,
imò Deorum quidam conventus est: sanctiores eti-
am immiscens splendores, qui inter coronas, dia-
demata, scepra, tiaras, purpuras, trophæa, victo-
rum insignia, triumphantium paludameta, pulcher-
rime

rimè coruscant: veriusq; quàm
ad regnum præludunt. Ant.
NISSIMÆ FAMILIÆ altiùs
ad ipsum scio descendere ^A Herculem, monitro-
rum domitorem: Historicanè an Poëtica fide, nihil
moror; illud tamen **DOMUS SAXONICÆ** laudè
approbat, quòd Divino planè consilio à tot sæculis
in salutem populorum constituta, nulli non par sit
altitudini. Quid? si victoris gentium posteritas sit
Gens inclyta **SAXONICA**, cui ^B Alexander Ma-
gnus Asiam debellatam retulit; jam hinc omen ca-
pe, ò **R EX**, Asiaticum prædonem Tuis triumphis
accessurum; qui in suis Maioribus Triumphatori
jam olim palmam porrexit. Audita Romanis Cim-
brorum arma, etsi inter strepitus bellicos confun-
dant seriem, & nomina populorum, pro Germani-
ca libertate fortissimorum; non possunt tamen im-
mortalem **SAXONUM** famam obruere, quin to-
rum vulgetur per orbem. obtusam verò longi ævi
spatio; seu hæc iniuria temporum, seu incuria ho-
minum fuit, ad merita virtutesq; non advertentium;
excitavit tandem, ac velut è tenebris in lucem edu-
xit clarissimam nomine suo dignus ^C **R EX HAR-**
DERICUS; coronatam inde spectavit orbis continua
successione ad usq; primum **SERENISSIMÆ DO-**
MUS SAXO-WIIKINDEÆ Auctorem **WITI-**
KINDUM; qui ut par magnitudini rerum gestarum
nomen sortiretur, Magnus dici meruit: maximus
at inde, quòd à barbaro gentilitatis ritu ad Sacra

^A Petrus Ludovicus Mounot dicit non contemnendos Auctores in hoc sibi facere
pratalise. ^B Anaricas Abbas Stadensis. ^C ante Christum natum
Anno 90.

fiens, totam SAXONIAM altiùs
Nec obfuit magnitudini Regium,
nomen & coronam deposuisse, quem animus ma-
ximos æquans honores, non inferiorem probavit;
& posterorum gloria maiorem indicavit, cum, cæ-
lo favente, Superis breve hoc dispendium ampliori
fænore pensantibus, Conditozem Regnatricis Do-
mus, magnorum Regum, & Imperatorum Paren-
tem, orbis veneratur. Quantus splendor, quanta
dignitas, quanta maiestas, inquam non fortuna, sed
cælum dona sua contulit! Tam altum attingit fa-
stigium WITIKINDEÆ propaginis decus, crescens
per scepra & coronas, ut nihil insolitum habeat, ni-
hil non affine quod alibi eminet: nec vana fides; si
hæc non ab oratorum sensu; sed à seculorum serie,
à conscientia mortalium, ab historiarum annali-
umq; consensu exigatur. Quid altiùs Vaticana se-
de? prima est: quid sanctius? Christi in terris Vicaria
est. hanc quoq; computat inter splendores Gentis
suæ WITIKINDEA Familia; GREGORIUM V,
Pontificem Maximum cum orbe Christiano ado-
rans: at quantum Pontificem! absolvet omnes titu-
los dixisse, natum Ecclesiæ bono; ob stabilitum il-
lius prudenti consilio Statum: Inclitæ Germanicæ
Nationis honori; ob constitutum S. R. I. Electo-
rum, communicata auctoritate cum OTHONE III,
collegium: Domûs suæ gloriæ; ob evectam in tam
sublimem dignitatis gradum.

Auctis splendoribus hodiernus triumphat dies:

Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit,

SAXONICAM gloriam in lucem produicens: hinc
Imperatoria Maiestate, quâ nihil augustius; inde

Augu-

Augustarum amplitudine, quæ nihil
signem. Sanè splendor hic, qui Sarinam
bem serenare debuit, eam claritudinem
poscebat, quæ solem imitata, in utroq; eardem cu-
mulatissimè refulgeret; utrinq; tot populis, tot gen-
tibus responsura. Non ausim curiosam, sed parum
fidam & securam ex propria conscientia mittere
diligentiam, in ea nomina, quæ orbis admiratio-
nem, vel reuerentiam excivère: nisi hoc ipsum sit,
quod in Tuis laudibus primum ponimus, quod in Te
venerandum suspicimus, & colimus reverenter.
HENRICORUM, OTHONUM, LOTHARII,
quanta nomina! at hi proprium decus faciunt Ti-
bi commune; partumq; magnis laboribus, Tuis
addunt rebus honorem, dum Te in communionem
sanguinis admittunt, aut ipsi veniunt. Nos certò
conijcimus ex **HENRICO I.** magnæ fortunæ au-
spicia: ex **OTHONE** Magna laudatissimarum acti-
onum plenitudinem: speramus **HENRICI II.** vi-
tæ laudabilis successus; **OTHONIS III.** felicitate-
tem; ad conciliandum amorem omnium in admi-
ratione præclarè factorum; reliquorum duorum pa-
rem dignitati magnitudinem animi iam demiramur.

Et verò cui non est nota **WITIKINDEI** Nomi-
nis amplitudo? quam **WITIKINDUS III.** primò,
post **HUGO CAPETUS** in regnum thronumq;
invexit Franciæ; quàm fortunato progressu? lo-
quitur tot seculorum fortuna; nec senio attenuata,
nec bellis fracta, nec victorijs fessa; maiestatem
suam integram, non armorum tantum felicitate;
sed pacis etiam artibus ad miraculum conservare

relictis vasto terrarum spatio, sedem hic
redatur: unde cuncta velut supercilio mo-
vens dividat orbem; inter honores prospera, inter
secundos secunda triumphos. Extra communem
clarissimarum Familiarum sortem est; quod WI-
TIKINDEA Gens origine sacra, successu felix, fe-
cunda stirpe, continuum habet; Reges, magnosq;
Principes imperijs commodare: quantum hono-
ris Tui REX momentum! Pretiosi sanguinis Tui
latices, plusquam septemplici Nyli alveo effusi,
tam latissime exundarunt, ut omnium ferè regno-
rum Europæorum impleverint thronos. Hinc Si-
cilia, Neapolis, Cyprus, Navarra, Hungaria, Da-
nia, Anglia, Britannia, Svecia, Norvegia; & tot
aliæ potentissimæ gentes, quot Reges è Regnatrice
SAXO-WITIKINDEA Familia adoravere, tot
Tibi vota debent. Connectunt etiam studia Du-
ces illi, qui ab eodem fonte originis suæ claritatem
deducunt; & coluit Bavaria, Burgundia, Braban-
tia, Lotharingia, Aurelia, Borbonia, Sabaudia, Pe-
demontium, Holfatia, Slesviga, Stormaria, Vagria,
Dithmaria. Quid dicam de Domo Brandeburgi-
ca, Hannoverica, Anchaldina, Hassica, Brunsvici-
ensi, & alijs suo nomine celsissimis? quas hic ta-
ceo, ne coercere videar angustijs orationis; ac
arctior Sanguinis nexus, amor, vel obligatio effun-
dit in huius diei celebritatem.

Hactenus imitatus eos, qui magnificas lustratu-
ri aedes, non prius tecta subeunt, quam frontem
ædificij contemplati fuerint; externum quodam
modo Familix decus, ad antiquitatem & amplitu-
dinem attentus, inspexi; satis clarum internæ ma-
gnifi-

gnificentia documentum: nunc iam ante
CLEMENTISSIME, interiora sacra penetra-
pienti. Domum ego Virtutis, quæ à viris nomen
mutuata est, ingredi videor; viuas magnorum He-
roum imagines undiq; circumspiciens; annè con-
tra quàm in templo Bonæ Deæ apud Romanos, fe-
minas arceat? nondum deprehendi, nec affirma-
re ausim, tot Augustarum nomina legens: illud in
se meam advertit curiositatem, rarò vel nusquam
videndum, ad cætera maxima decora vnum & sin-
gulare supremi Numinis beneficio Augustæ Stirpi
Tuæ, REX, adiectum; ut meritò æterna dici, habe-
riq; possit: quòd nunquam interpolatum à prima
origine in prole mascula commonstret ordinem.
Ædem iterum Gradivi, tot Heroum effulgens ma-
iestas, tot Martij magnorum Bellatorum vultus,
omnia ferri armorumq; fulgorem, ditesq; Ara-
bum opes vibrantia, insolitam aciem & animum
non bene durantem in tantæ pompæ conspectu per-
fundendo horrore, cogitanti subiiciunt; ne irritam
in singula diligentiam mittere præsumam. Planè ni-
mis audax esset, nisi temerarium potius, infelicem
arguens operam; ad inaccessam impari ornatu &
cultu velle irruere Maiestatem, quæ maior huma-
nâ, omnium virtutum comitatu circumfluens; for-
tunæ obsequia & munera solo arbitrio dividens, ve-
neratione melius, & admiratione colitur. WITI-
KINDEUM facile dignoscas Genus, quod nihil hu-
mile, nihil obvium aut devium; omnia digna suâ
indole, digna Maiorum gloriâ, vultu nutuq; spirat:
cuius illustre nomen, non usitatâ, nec tenui deferens
pennâ, loquitur orbi fama superstes: & non imme-

eficiorum gratitudo, gemmeis distinxit sin-
elenchis; ex solo intuitu ut præscribant Vene-
rationem omnibus; & æmulationem his, quos sum-
ma humanarum rerum fastigia pertentant; ne pos-
sint lassare, si tam firmo gradu pressa sequantur ve-
stigia. Quidquid ad decorem Gentis; ad incremen-
tum Maiestatis, ad populorum amorem, ad conser-
vationem boni publici spectaret, egit sollicitè THI-
EMO, ut ideo eximius dici mereretur. Magni no-
men, quod rarò venit, & carò, magnorum non nisi
meritorum parandum pretio, dum consecutus est,
palam fecit; quis, quantusq; fuerit **CONRADUS I.**
Protoparens Misnensis Familiæ. Quod splendo-
rem iuuet Prosapix, quod augeat potentiam, firmet
atq; conservet; docuit suâ industriâ **OTHO** dives.
non ob effossas tantum pretiosi metalli glebas; sed
etiam ob conditas tot urbes celeberrimas: Quàm iu-
vet Principes cælestiù cura, pronaq; in Superos sub-
missio, fecit deditq; experimentum **HENRICUS**
Pius; cuius insignia opera, & singularis quædam in
omnibus felicitas facilitaq; effecerunt, ut Illumina-
tus, aucto titulo nominaretur. Non est porrò ul-
lum laudis genus, quod **FRIDERICORUM** gloria
& dignitas tanto non conuoluat nomine: dum aliud
inter belli motus, ludumq; fortunæ impotentem,
grauesq; Principum amicitias, infractus animo, for-
titudinis ideam expressit, **FORTIS** nuncupatus: ali-
us ad normam probitatis omnia deducens, ac ne le-
ges absq; moribus vanæ essent, rigidus; **GRAVITA-
TIS** & **SEVERITATIS** nomen obtinuit: alius ad in-
stantia quævis pericula intrepidus **STRENUUS** dici
meruit. Fortes creari fortibus, evidens edidit do-
curam-

cumentum, Strenui filius BELLICOSUS in
 RICUS; primus etiam dictus, qui longâ
 litiâ latus deponens sub lauru; magno virtutum ju-
 dice SIGISMUNDO Imperatore, ELECTORA-
 LI adnumeratus est collegio, par cuius loco ornando.
 Quod rarum veterum Imperatorum successio
 in Vespasiano & Tito celebrat; optimi Parentis
 optimum filium: hoc addit venerationem FRIDE-
 RICO, qui Bellicosus; BONUM & PLACIDUM sub-
 stituit filium FRIDERICUM; non degenerante po-
 steritate, dum ERNESTUS Nepos, Prudens & Pa-
 cificus; ideoq; PATER PATRIÆ, CORONA PIETA-
 TIS: pronepotes, FRIDERICUS Sapiens, IOAN-
 NES Bonus & Constans; traditam à Maioribus glo-
 riam, vel æquaverunt, vel superaverunt: in suisq;
 virtutibus memoriam Antecessorum exprimere
 mutato nomine adnites; non naturâ tantum &
 sanguine; animo etiam & mente, proximos coniun-
 ctosq; se esse demonstrarunt.

Remotior atas plures vetustiori commendavit
 gloriæ: quorum quia Stirpis est WITIKINDEÆ,
 Genus SAXONICUM; nihil quærendum extra hoc
 nomen, hoc est, extra summam claritudinem: ta-
 meti vero per fluctus & tempestates interdum
 eundem erat; periculis crevit gloria, ea felicitate,
 ut nunquam serenitatem & sidera sua amisit. Mar-
 tia verè gens, quò maiores in origine biberat spi-
 ritus; eò minus quiescere aut latere potuit; quin
 emineret per ea, suaq; se vibraret indole, per quæ
 non nisi magna semper eminere virtus, nisi maxi-
 ma semper eluctari gloria solet: clarissima semper
 etiam dum nova nomina novis factis non indueret.

entiora venienti cogitationi quanto lau-
dabilis occurrit, magisq; crescit argumentum; tan-
to se minorem deprehendit stylus, & eloquentia:
ne aliquid in tantam liceat sibi magnitudinem, non
uno merito productam, sed per diversorum lauda-
bilibum operum celebritatem, ita diffusam, ut vete-
rem priscamq; retinendo maiestatem, novam sem-
per adseiverit. Quid hinc audeat aut commodet tre-
pida exilitas? quomodo imparibus tantam fortu-
nam affectibus adumbret tenuitas? Maior est, quam
ut illi aliquid addat studium laudatoris; licet nec de-
trahet quidquam livor malignantium; Heroica ani-
mi magnitudo & fortitudo MAVRITII, orbis te-
lestimonio; CAROLI V. Imperatoris æstimatione
in Electoralem evecta celsitudinem. Quid illa
AUGUSTI I. Divinior in rebus perficiendis pru-
dentia? in Republica bene administranda solertia?
in amovendis periculis felicitas? quid utriusq; CHRIS-
TIANI capacissima omnium decorum indoles,
& regnandi peritia? tanto illustrior futura, si diu-
turnior fuisset. Stupet adhuc dum satis prædica-
re non potest, Germania, ac penè tota Europa, in-
credibilem illam animi vim JOANNIS GEOR-
GII I. Proavi Tui, SERENISSIME REX; qua tan-
tum sibi auctoritatis apud maximos Principes, po-
tentissimus ipse comparavit; ut unus ille in difficilli-
mis Statuum Europæ negotijs, pendentibus diversor-
um studijs, arbitrum agere potuerit, feliciterq;
motos in immensum componere fluctus bellorum,
ad vota omnium. Triumphat in amoribus popu-
lorum, SERENISSIMUS IOANNES GEORGI-
US II. Avus gloriosissimus; & quod vivens posuit

cordibus subiectorum, integrum etiam
bet gratæ memoriæ monumentum; habebitq;
adufq; optimorum Principum durabit gloria; ob pa-
cem tranquillitatemq; publicam stabilitam, ob Ci-
vium salutem, Princeps Pacificus.

Divinum fanè Genus, in quo tot virtutum pro-
digia miramur, quot spectamus Principes, famam
& fata nepotum fausta propagatione continuò su-
blevantium, ut eant in ævum; in quos omnia hono-
rum insignia, omnia fortunæ munera, omnia glo-
riæ nomina monumentaq; boni Cælites congessè-
runt. Nec defuerunt vnquam, qui belli pacisq; tem-
pora æquo iure disponent, cum prudentiæ laude
maxima, è bono Reipublicæ: utra tamen laude, to-
gatanè an militari magis excelluerint? orbis iudici-
um esto: istud incomperto est, Serenissimum IO-
ANNEM GEORGIUM III. desideratissimum Pa-
rentem Tuum, SERENISSIME REX, utriusq; pal-
mam decerpisse; ut fato quodam ad eam gloriam,
reservatus videatur, cui & hostium furor, & sub-
ditorū amor cederet in triumphum: secure his dor-
mientibus, dum hic Antipater excubaret; cedenti-
bus illis, dum hic simul Alexander instaret. Recen-
tem calentemq; adhuc memoriâ quid iuvat refo-
vere? conscientia generis humani ex publico abun-
dè reddit testimonium: nec tacebunt grâti Cives
Patriæ Defensorem indefessum; nec delinent hostes
timere Bellatorem invictum. Tenuis ego grandi-
um contemplator, singula persequi non audeo; nec
sufficio, quibus Immensa pænè debetur oratio: om-
nia absolvisse videbor, si hoc unicum inter innu-
mera alia memorabo; quantâ se gloriâ defendendæ

ia, atq; adeo toti Christianitati impende-
re: etsi taceam gloriosissimam Moguntinam, &
alias; illa, illa ipsa VIENNENSIS expeditio loquitur
pro me; nec licet obstrepere serpenti humi tenuita-
ti, ubi oracula pandit armata Maiestas. Grande No-
men, immortalis gloria Principum, æternum Polo-
niæ decus, terror Turcarum, Triumphator Orientis,
tutela Christianitatis, populorum salus, gentium
amor & stupor, Serenissimus JOANNES III. REX
Noster, omni memoria dignissimus, laudavit, (sed
fugiunt verba memoranti) probavit, Heroicum
tanti Principis, paremq; tam gravi bello & hosti, tan-
tus Iudex! animum; imò verò præ cæteris plurimum
adamavit; iam tum similitudinem suæ virtutis, &
gloriæ, futuræq; dignitatis, arcana quadam vi in,
illo præcognoscens, quam in Te spectamus, mox
amplius provectam spectaturi: Successerat quidem
in hæreditatem gloriæ tanti Patris non inferior fili-
us, Serenissimus JOANNES GEORGIUS IV.
Frater Tuus dilectissimus; sed præpropere fata in-
viderunt hoc bonum, quod Tibi servaverunt, pro-
trahere solitarium; æquiora futura, si coadunata
in Te producerent, ita cælis iubentibus, votis publi-
cis adnitentibus; ut sis utriusq; successor, regni &
gloriæ; PATRIS & REGIS Magni, DUX hære-
ditate, REX electione.

Quantus Te decor, laborq; circumstat, probè
intelligis, AUGUSTE REX, qui pridem apud Te
examinasti, quàm sollicita magni natales pretia ha-
beant? quàm magno semper constiterit, venire in
amplam gloriæ successione. Naturæ illud, vel fortu-
næ deberi, non ignoras; at hoc virtutis opus esse,
digno

digno Maioribus animo recogitas: utrumq; tamen
quod in Te ornando conspirasse videmus, Divorum
reputas munus; felici concordia, dignitatis & virtu-
tis, ne ullus iniquæ æstimationi locus relinquatur.
Quid aliud ageret mens excelsa? quam exquisitiori
curæ ac studio Superis esse credimus; laborante pro
Te grandi illâ Divorum Colonia ex Gente Vestra
ad cælos deductâ. Nam si memoriam temporum
consulamus; BONIFACIUM & BRUNONEM:
Augustanum hunc Pontificem, Russiæ illum Ar-
chiepiscopum, & simul Martyrii gloria insignem;
utrumq; OTHONIS affinem: HENRICUM II.
Imperatorem; LUDOVICUM Galliæ; STEPHA-
NUM & EMERICUM, Hungariæ Reges; GIS-
LAMq; Cõiugem & Matrem: ELIZABETHAM
Hungariæ, HEDVIGIM Poloniæ, Reginas; MA-
THILDIM OTHONIS Imperatoris Matrem:
quos vitæ sanctitas, morum integritas, Cælituum
addidit numero; Roma sacrâ donavit apotheosi, or-
bis colit & veneratur: WITIKINDEÆ familiæ de-
beri extra omnem dubitationis aleam comperie-
mus. Gaude tam insigni bono, Magne REX; nec
potes non frui, cui acres addit stimulos æmula vir-
tus, trita premere vestigia; nec nos aliud optamus;
quàm ut his Ducibus & Auxiliatoribus terrenam
diuturnus; cælestem serus; possideas coronam: qui
ardore solidæ laudis incensus, in materiam æterni-
tatis vertere cupias, quæcunq; occurrant.

Atq; ego nisi tam fervens Tibi, REX, studium
inesse fatear, longè est adhuc quàm vel intelligam
Tui magnitudinem animi: qui ad omnem laudem
& gloriam exaggeratus, sua sponte in maxima &

atissima, cum iniuria etiam ætatis, non suæ tamen
indolis, feratur, non cupiat tantum; quod optimis
quibusq; mortalium solenne est. Ita est, animus
Principum optimus est, quia celestis; imò ab ipso
Iove descendens, nescit humi serpere, etiam dum
corpus nec dum induruit: nec inferiora secutus vel
in ipso ortu, tantæ non immemor originis, in-
dolem suam explicat abundè, ne quisquam dubitet
quis sit, vel quantus futurus sit. & si naturæ vim in-
ferre videatur, non est mirum, quia non communi
forte editus. Alexandrum Philippi Macedonis fi-
lium, tantum futurum, quantum orbis sensit & suspe-
xit; nihil humile, vel iuvenile locutum audientes
prædixerunt Legati Persarum: & Pater Philippus
admiratus industriam annos prævenientem; ampli-
ora cum eo, qui illum sessorem passus est equo, ius-
sit petere imperia; non vano augurio. Seculi illius
historia est; nec illam sua antiquitate commendabi-
lem improbamus: novam, REX AUGUSTE, de-
disti; vel ideo cariorem, quia rariorem; & stupen-
dam magis, quò minus creditam: pænè infans fero-
ces domare Leones, ac in obsequium redigere do-
ctus: in auspicium Regnorum; nedum cuius auspi-
cia fortunatus ordiris; verum etiam plurimorum
aliorum, quæ Tibi fata destinavère: an potius in
omen certissimum victoriarum & triumphorù, qui
Te de hostibus barbaris & indomitis manent. Eius-
dem Macedonis generosa non sustinuit indoles
Olympia decurrere, ubi non concurrerent pro pal-
ma Reges. hæc Tua felicitas, quòd in continuo cur-
su honoris, quæ vita Tua est, Reges & Principes
gloriæ competitores semper haberes: nullius inferi
or mul-

or, multorum victor. ita teneriores exegisti anno
ne pæniteat, aut pudeat præteritorum. rarum iuve-
tutis prodigium! Iam in illa ætate respiciebas incli-
tum titulis Genus, nobiles Avos Atavosq; , augusta
Serenissimæ Domus Nomina: hærebant non vultus,
sed facta animo incitato, easq; augebant cogitatio-
nes, quomodo tantæ non impar accederes claritu-
dini hæres? at ijs Tuam Maiestatem finxit moribus
& indole propitium Numen; ut non esset necesse
Camillos, Maximos, Scipiones, Catones, Augustos;
ceteraq; antiquitatis clarissima Nomina in exemplū,
ex se docto in totum, proponere: qui domestico
eruditus Magisterio quid Regiæ Domus honores
deceret, in æmulationem præsentium, exemplum
posterorum. Maximum tamen incitamentum fuit
ad omnia, grande Nomen seculi nostri, ingens glo-
ria Domus SAXONICÆ, populorum desiderium,
SERENISSIMUS PARENS; unus hic instar omni-
um cuius nutum sequi, nihilq; prius aut antiquius
habere, pietas reposcebat: ad aspectum virtutis He-
roicæ incallescere; non degener animus inflamma-
bat, ac generoso urebat honesto; ut ex mensura vi-
rium similia tentares, laudandâ æmulatione. Spe-
ctando, audiendo victorias, gestaq; Heroica Magni
Parentis, Themistoclem agebas; altissimas inter co-
gitationes pervigil, quomodo hunc Miltiadem asse-
quereris: hic Tibi Alexandro Philippus in auge glo-
riæ constitutus; ne non superesset, quod ageres:
quasi defuturi fuissent Herculi labores: hic Scipio
superior posteriori præibat ad decus, famam & im-
mortalitatem parandam. Cuius nunc vivam præ
Te fers imaginem; non in pectore, ut quondam

†
Ioster Boleslaus; sed in animo: non memorando so-
lùm; sed exprimendo toties laudandorum studio
& ope factorum. Hoc etiam singulare tenerior
Tua ætas habuit, quòd non exspectaret cursum an-
norum in festinatione virtutis; ingenij celeritate,
mentis sagacitate, in literarum cultu longum institu-
entium præoccupando laborem: tempestivè do-
ctus, quantum Principem deceret, matura imperio
præditum indole; semper tamen potiore cura & ap-
plicatione belli artibus intentus. At ne tam vividus
animi ardor, ex parvo, ac velut scintilla promicans,
molli elangveret inertia; priusq; exingueretur;
quàm se protendere possit; maturo consilio, nan-
quam satis memorandus Serenissimus PARENS;
potentius, imò dulcius parato subdidit fomentum;
cum Te acri militiæ dicere voluit sacramentum, il-
liusq; præclaris vivere institutis. Non erat necesse
admovere stimulos ex se ad omnia prompto. Si-
cut sol ortus corporum colores, qualitatesq; fu-
gata nocte detegit; ita hic campus exercendæ vir-
tutis Heroicas animi Tui dotes & corporis, ne am-
plius privatæ laterent, in apricum produxit. Mul-
tos Castra terrent, & lituo tubæ permixtus sonitus:
Tuam iuvarunt mentem; pulcherrimumq; studium
in æmulationem & similitudinem Gentis suæ accen-
debant. Quid verò Tibi frequentius? quid iucun-
dus? quàm duritiem, laborem, aliaq; ignavorum
terriculamenta, tam patienter, quàm alacriter subire?
vires gradu; luctâ, aut armis exercere? corpus ad mi-
litiæ incommoda præparare? æstum, nimbos, aliaq;
cæli iniurias pati? quid urgentius exquirere? quàm
quis

quis modus cingendæ Urbis? quæ ratio aciei ordi-
nandæ? quid vallum, agger, lorica? quid magis opta-
re? quàm præliorum, quibus sæpius enarrandis adef-
se, assurgere, attolli, & animo commoueri solitus
eras; etiam videre successum? Quanti futuræ sere-
nitatis radij!

Hoc erat militiæ tyrocinium, quod tantum Te
Ducem, Regemq; tunc promittebat, quantum nunc
exhibes: nec debuit finis adolescentiæ, nisi principi-
um bellorum fuisse; fortitudini & dignitati Magni
PARENTIS, Patriæ splendori, Maiestati Maiorum,
expectationi totius Germaniæ, solatio & tutelæ
POLONIÆ futuro. Nata in spem Imperiorum
maximorum indoles, ne situ torperet; irrequiescens
à Castrensibus laboribus animum, ad visitandas ex-
teras nationes non illibenter flexisti; hinc Galliam,
Hispaniam, Portugalliam, Italiam, Sabaudiam, ac
Austriam, iustrasti; an illustrasti? Tuum est nomi-
na tanto imponere operi; cuius erat cum Serenissi-
mæ Familiæ magnitudine, ingentium virtutum
decus gloriosè ubiq; circumferre. Circa hæc po-
cula alij bibunt; quos & infascinant: cæleste Tu ne-
ctar haulisti, succumq; ex ingenijs, moribus, legi-
bus, consilijs gentium; unde ornamenta pacis, bel-
li adiumenta petantur; quæ sint propria aut com-
munia Rerumpublicarum arcana, maturo iudicio
exquirendo, discutiendo, in scrinio cordis fideliter
conservando, ad usum evoluenda: eam verò gravi-
tatem ubiq; servasti, quæ nec fastu, nec contemptu
aliorum, nec reliquorum vitiorum confinio lædere-
tur; quæ magnum deceret Principem: ut non plus
accipere, quam ferre Tecum videreris; adhibitis in

commercium semper prudentiâ & humanitate, id
demum perfecisti, ut omnium non modò amorem,
sed venerationem etiam in cultum obligares: de-
sideriumq; Tui relinqueres apud omnes.

Vim Heroicis animis inesse; nunquam quiesce-
re aut lassari; continuo verò motui & labori assue-
tam; in illo flore ætatis, illa vividâ indolis lætitiâ,
capacissimo ad omnia præclara facinora ingenio
palam fecisti, fortunatè redux in Patriam. Non-
dum Te pax reddita orbi venientem salutaverat, o-
mnibus expulsa terris: confundebat adhuc ius omne
ferri potestas; armorumq; tempestas Rheno incu-
buerat; par labor atq; metus Germaniæ fortunam
lacebbat; instabant mille Martis pericula; imbel-
les animas dirus percellerat horror; generosæ mēti
Tuæ faces belli vrgentes addebant stimulos, ingen-
tem in bella ferre animum; & si quid sibi summa pe-
tenti obstaret, instare, impellere, & viam fecisse
ruinâ gaudere: secutusq; signa Serenissimi PAREN-
TIS toto circumfulgentia Rheno, nullum pro li-
bertate Imperij, pro Patria, pro publica integritate
subire periculum timebas; donec non sustinens tan-
tam potentiam, signa referret Moguntiâ hostis; ma-
xima pars victoriæ Maximi Bellatoris, PARENTIS
Tui, totiusq; Gentis SAXONICÆ.

Figere in vna Patria, quâ debeas orbi vniverso vir-
tutē indignum ratus; protulisti eam latius, in Belgio
castra Regis Angliæ secutus præclaro gloriæ studio.
O quantum Te hîc dicam! quantum spectavit exer-
citus ille; quantum miratus est & adamavit Rex il-
le? Terremur timemusq; memorando; quæ Tu au-
dendo lætus fecisti. Prodigum animæ spiritum quis
non

non dicat in media pericula ire? at Tu ivisti; non
fortis tantum in acie; sed magnanimus etiam in ca-
stris hostium: quibus indixisti reverentiam, ne vio-
larent virtutem; fortunamq; obligasti, ne malè me-
reretur, si tanta audentem desereret, aut post vota
veniret: omnes demum docuisti; fortunam forti-
bus in manu esse. Minor iam erit fama Scævola
castra Porsenæ penetrantis: cui Tu quidem tam in-
usitato nec audito apud Principes facto, fidem con-
ciliasti, sed miraculum detraxisti. Liceat ad AU-
GUSTUM verbis Constantino Augusto dictis pro-
loqui: semper Tu domi, militiæq; bonus, nusquam
virtutem extulisti, quin ubiq; Te gloria, quasi um-
bra comitata fuerit. Sed non colligam hostes, quos
dexterrimè profligasti; non referam bella tam in
Belgio & Anglia; quàm in Germania: in curas ve-
niens, partemq; laborum Serenissimi FRATRIS
ELECTORIS: non recensebo victorias; hoc magis
illustres, quòd hostibus formidandas; hoc magis glo-
riosas, quòd eas longinquæ etiam Gentes admiren-
tur, ament & respiciant. Virtutis Tuæ pretium
est ac æstimatio; non fortunæ plausus; quòd magna
illa per tot secula Libertatis conservatrix, Heroum
altrix, tot gravida imperijs, fecunda triumphis, VE-
NETA Respublica, fecit, deditq;: cum Te ad supre-
mum Exercitus sui Imperium, contra communem
Christianitatis hostem Turcam intensiori voto ac
desiderio expeteret, invitaretq;. Nec erat difficile
submittere modeste (quod maximam adstruit lau-
dem) tam glorioso ponderi exercitatu laboribus,
Marti q; addictum animum: addebant animos for-
tissimo pectori, studium bene merendi de Orbe

Christiano, salus pōpulorum, gentium integritas, gloria immortalis: sed fata, iustis non inulta querelis, hanc præcluserunt, quia aliam parabant, & invenerunt viam; à morte Serenissimi FRATRIS Electoris, (heu! quàm incertum habent mortalia casum)! improvisa lethi vi in ipso flore ætatis prærepti; in regna Paterna reponendo; qui aliquando totum sub leges missurus es Orientem.

Maxima licet sint ac præclarissimã, quæ ante Imperium gesseris bella; præludia tamem sunt, ac pōnè pericula quædam minora, si conferantur cum his, quæ Hungaria spectavit Virtutis Tuæ miracula; Divino consilio AUGUSTISSIMI LEOPOLDI, Pij, Felicis, Maximi ac Invictissimi Imperatoris, in tutelam regnorum, præsidium rei Christianæ, Dux Exercitûs contra Turcam delectus. Quàm vero lætus tam grande susceperis munus, in quo gloria tanti belli rebus est servata Tuis: maior in arma animus, nihil oblectatus tanto nomini, habituro aditum in mansura seculã famæ, demonstravit: nec unquam de futurũ Orbis Christiani expectationi, hanc poscens fortuna manu, successu probavit; quæ jam ante in ludicro etiam certamine Dresdensi non infaussto omine prælusit. Ivisti securitate animi, & alacritate vincendi plenus, fortunam in manu gerens: ivisti ad magnum virtutis opus, summosq; labores: & insigni fortitudine erexisti Pannoniam, Martisq; Tui famam metuq; implevisti Turcicum factum; alterius Vindex & Assertor, alterius Terror, utriusq; Admiratio. quid mirum? cui in maximis & optimis Imperatoribus amatae vel quæsitæ, non defuere virtutes; gnarus militiæ, providus consilij; pruden-

dentia ac fortitudinis laude nulli secundus; doctus prius parare bellum, quam exercere; & metiri quantum queas, ne frustra tentetur facinus; aut præceps audacia cæpti operis famam diminuat; promptus tamen quoties instet periculum, & magno constet honestum: intrepidus, audaxq; omnia perpeti, præter famæ innocentis & conscientia bono publico deditæ delicata discrimina: omnibus prosperis par; adversis felicior aut superior, nec pro successu tumidus: nihil unquam timens, nisi ne quid vspiam timere videaris. In suos quam pronus & affabilis! quoquo modo varios populi concires amores, nihil omilisti: siue castra lustrares, siue aciem instrueres, ubiq; Tibi similis: nunc militibus, nunc Præfectis spem, animum, fronte, verbis, manu, voce, gestu, habituq; sufficiens. Neq; DUX modò, miles etiam, & exemplum ad omnia; ut quondam Cæsar:

*Acer & indomitus, quo spes, quoq; ira vocasset,
Ferre manum, & nunquam temerando parcere ferro.
Successus urgere suos, instare favori
Numinis:*

quo protegente; & melioris causæ fiducia Tecum agente, quantum præstiteris duobus his, qui convoluti Tuas magnificè loquuntur res gestas, annis? fama loquitur mundi. Cuius Virtutis erat nisi Tuæ, Ò REX! exercitum cædi, non pugnae ab immanissimo hoste destinatum, inter iniurias caeli, & angustias locorum luctantem, servare? irruptioneq; subita per cæsorum sanguinem, per cadaverum campos, & pugnandi viam aperire, & vincendi artem ostendere? cum terrore aut dolore hostium, ardore & salute suorum, miraculo omnium. Curtiorum, Deciorum fama quantum depressa est! ac mihi ipsa

magnitudo periculi absomit verba cogitanti, quid feceris, Regum Fortissime ac Fortunatissime? Quantum laborabant pro Te metus & stupor, cum inter tanta discrimina rerum, inter medios ignes, in summa armorum rabie versarere; cum incumberes gladijs, gauderes sanguine fuso; relinquo, personam Principis, pretium Maiestatis æstimantibus, cogitandum. Heroica verò Virtus cruore hostium & cadibus irritata magis, quam fatigata; secunda ubiq; neq; apud invidos & ignaros fidei periculum timebit. Augustas cogitationes promovebunt secundabuntq; Superi, cum nihil magis sollicito geras pectore, quam quomodo orbis Agastio, collectæ ab ultimis cardinibus potentiaë fesus, Thracius Apicius, cruoris humani; maxime verò Christiani sitientissimus, Ottomanus, victas vincetasq; det virtuti Christianorum tandem aliquando manus? en iam in iplo nunc opere tanti moliminis vota coronant, dum Tibi Diadema Regni Sarmatici, Sceptrumque Augustæ detulerunt manui, ut latius regnes tyrannum tam sævum domando; sentiat pondus quod inde venit, ut adoret regnantis Maiestatem.

At neq; hoc sub cortina relinquere licet, Regum Victoriolissime, quod paucis concessum, omnibus imitandum, maximo animi sui cum illicio suspicit in Te Bellona Sarmatica: Victorijs & triumphis innutritus, adeo Heroicum Spiritum intendis, ut domi etiam serium Gradivi studium non remittas. Non uni Annibali post aspera belli molimina, palmarium negotiorum inter otia tædium est aut jactura; cum intermisso bellico exercitio, quasi iam nihil cum Quiritibus agendum restaret, Capuæ laxat animum; simul invictum perdit spiritum, & partam tot bellis glo-

lis gloriam. Non uni Alcidae, abieciâ clauâ, depô-
sito Leonis spolio, suspensâ pharetrâ, remisso arcu,
à ferijs ad ludicra transeunti, est umbrarum secessus
apud hostes contemptui, qui olim fuit terrori, cum
ut fulgur Martis timeretur. Aliud indefessæ Virtu-
ti Tuæ in otio negotium est: quotidianam Tibi Ma-
gne Heroum & Triumphatorum Sangvinis, aperis
Athleticen, in qua frequentato conatu vividas præ-
tentas vires; & Martem, quem impavido pectore
geris, ciere solenne ducis; ut amicum reddas. Phæ-
bi instar in motu quietem. Principibus concessam
esse non ignarus, hastiludio triumphalem arenam
emetiris, ut nullam diem sine meta gloriæ transigas;
victorijsq; ac triumphis feliciter intra Penates do-
mesticos proludas. Neq; miramur prodigiosum
illud telum, in sublime quondam ab Aquila raptum,
& delapsum, in laurum mutatum Amphiarao: cum
feliciori impetu, vel explosus sclopus, vel emissâ à
Te sagitta, nunquam à scopo aberrans inimitabili
exemplo, mille Tibi pariat laureas, in hostium pe-
ctoribus nascituras. Nam si assiduum illud in ludis
Olympicis exercitium, & semper ad metam colli-
mans iaculum, magno Macedoni, ingentis gloriæ,
& subiugandi Orientis, non inane augurium fuerit;
metaq; feruidis evetata rotis, & palma nobilis supra
omnes Reges, hunc Pellæum proveherit iuvenem:
quid de Te polliceri sibi debeat Martis domicilium
Polonia? Erit tempus, quo Heroica Tua Virtus, pa-
tentiorem Tibi campum, & Olympia gloriæ nacta,
pro meta Ottomanicam Cynthiam figet; ac telum
hoc triumphale, quod in Pannonia grave illi infli-
xerat vulnus, crebrioribus confodiens ictibus, fa-

tale istud Christiano orbi sidus, ex sua sphaera deturbabit.

Excelsum Heroici animi Spiritum, Imperatoriae Virtutis decora, Martialis ingenij lineamenta, Herculeo virium robore firmata, prodit humanâ augustior species formâ, vultusq; dignitate plenus, viua Maiestatis imago: ita tamen mira comitate ac suauitate placens; vt in ea Regiae frontis celsitudine, oculorum vigore, Divinum aliquid spirante; ipsas Gratas & Lubentias sedem fixisse in aperto sit: potens, non oculos tantum, corda etiam oblectare; nec reuerentiam tantum, amorem etiam imperare. Hoc Te probas Regem Polonum, quod hilari facie, serena fronte; non contracta in nubes, vt confundat; non arctata in tonitrua, vt terreat; non coacta in fulgura, vel fulmina, vt prosternat; sed omni facilitate malaciaq; plena, permittis Tui venerationem: prorumpentes ex hoc speculo pacis & laetitiae sequestro Regias Virtutes adorantibus. Germanicum Te credimus renatum, visu ac auditu iuxta venerabilem; qui tanta in omnes propendes comitate, vt ne hostesa Tua mansuetudine excludantur; tantam gravitatem cum Maiestate retinens, vt odium, furorem, & fastum, magnarum mentium scopulum non admittas.

At mihi magnitudinem augustorum operum Tuorum, & serenitatem gloriae libanti, id planè contingit, quod curiosius in solem defigentibus pupillam: qui quanto magis oculos videndi studio fatigant, tanto minus se videre deprehendunt, splendore astrorum Principis obruti. Tantus enim es Regum

gum Inuictissime ac Optime, vt ex numeroſo virtu-
tum, quæ Maiestatem Tuam circumstant comitio;
vel ipsa Liberalitas Tua, Clementiaq; , verè basilicæ
virtutes, suos exposcant Plinios aut Tullios. Quip-
pe si ob huiusmodi virtutes, quæ sunt dos Maiestatis,
firmamenta Regnorum, securitas & salus Regum;
quæ humana omnia supergressæ, terrarum Dominos
euehunt ad Superos, & Solium terreſtre Divino ad-
movent; si propter tam inæſtimabiles gemmas, Ro-
ma suum Augustum cælo demissum ab alto credidit:
quid de Te, AUGUSTE Noster Clementissime di-
cent præſentes, gestient audire poſteri? qui non re-
gnandi modo, verùm etiam fortunatissimi Ingressus
Tui in Poloniam, munificentia & clementia auspici-
um fecisti. Reges à Ioue prodijsse, qui prodidit; Te
ipsum Iouem credidisset, si profusam in publicum li-
beralitatem, insignem magnificentiam, in numera-
to habuisset. O Te frugi PRINCIPEM! qui ad vota
populorum, tam pretiosam seris non parcè semen-
tem; ex Laurigeris Poloniæ campis, succis Otto-
manorum Iolijs, auream Laureamq; collecturus Vi-
ctoriarum messem. Habent profectò Martia pecto-
ra, vnde hebetatum acuunt in durissimas Gelonum
cervices ferrum: vnde ad vires restaurandas depo-
ſcant & ſumant nervum belli. Non signum ad bene
ſperandum; sed manus aureas extulisti ad bene fa-
ciendum; crescentibus vndiq; ærumnis, & accumu-
lata malorum Iliade, non vno decennio pressum Ili-
um nostrum ſuavius tractando, ſublevando. Di-
gnissimas Sceptris manus; quæ hostes Gentilitijs
Enſibus, Cives beneficijs vincere ſciunt & vincere!
Non invidemus Traiano obstinatissimam largiendi
conſuetudinem; cum hæc Tibi abiit in naturam. Ni-

hil nos movet Severi Imperatoris rigor, in non pe-
tentēs beneficia; cum Tua Liberalitas vota præoccu-
pans, & desideria, omnibus etiam non poscentibus,
solis ingenium imitata, non exorata exoritur. Tibi
compar, aut maior Imperio felicitas, alios felices
reddere; & solennis victoria; beneficiis non vinci.
Tam adamantinis devincis facillimè nexibus men-
tes omnium ultrò Tibi acclines. Age Regum For-
tunatissime; his Patriam nostrā diu auge Virtutibus:
his actibus immortale para Nomen, quod iam despon-
dent Tua facinora; ut dicaris PATER PATRIÆ. Quis
ambigat? si iam feliciter Tito deliciae generis nostri
audis; aurea redditurus Poloniæ secula, auro pretio-
siorem gerens animum; non à turribus, satellitibus,
aut circumstantibus pilis Regiam quærens custodia;
sed ab amore Civium, & quod Tuum est, oblivione
iniuriarum. Imbellis nec bene securus Imperij cultos
timor, nihil apud Te loci habet, extorrem fecisti;
qui non timeri, sed amari ab omnibus cupias, exem-
plum ipse in omnes amoris; palam testatus; omnes
fortunas, tot Maiorum labores; vitam & sanguinem
non illibenter profundendum; dum bene sit Rei-
publicæ; dum aurea Libertas intacta, Iura Regni in-
tegra conseruentur.

Cum luce noctem, cum Sole tenebras confundere
videatur, qui ad Regni huius amplissimam fovendā;
& attollendam fortunam, aliquid in Te desideret,
REX POTENTISSIME: tam illustribus publicæ sa-
lutis indicijs plenus circumfluis; ut spes nostræ lati-
ùs se diffundant; quàm ut hoc Regnum illas capiat.
Sancta Mater Ecclesia Romana, in lætitiæ istius ve-
nit societatem; quem ante duos annos in gremium
lata suscepit, nunc Regem habere gaudet, Apostoli-

caq;


caq; *cur* benedictione, ut felix, fortunatusq; diu
Regno huic intersis: illamq; indubiè concipit fiduci-
am, ut Regis ad exemplum, totus componatur SA-
XONICUS Orbis, Tuis auspicijs ad communionem
Ecclesiæ accessurus. Cælum ipsum provocas quo-
dam modo in gaudia cum WITIKINDI Magni re-
stauras fidem, JOANNIS laudatissimi Abavi pium
zelum adimple, verus tantorum Antecessorum hæ-
res & Successor, Princeps Pijssimus. Hoc Religio-
nis augmento, dum plurimorum exples admiratio-
nem, viinam quàm primùm excites Tuorum imita-
tionem: ut cum omnes Virtutes Tuas ament & præ-
dicent; hanc unam suspiciant, ament & sequantur.


Magnos, Felices, Augustos reddunt sua regna
alios Reges: Tibi hæc gloria relicta est, REX AU-
GUSTE, ut Regnum Tuum, quod suscipis, felix, for-
tunatumq; efficias, cum immortalis Nominis Tui fa-
ma. Quarant alij auream illam in comitatu Impe-
peratorum fortunam: nos in ipso Tuo Nomine ad
sublevandam felicitatem Regni præsentem cerni-
mus. Non Romanis tantum, Polonis etiam ama-
bile Nomen AUGUSTI: quod placuit in Primo;
in Te AUGUSTO Secundo omnis felicitatis au-
spicium est: votis populorum spondentibus; ac pro
Te Divinitus REGE constituto, qua privatim, qua
publicè laborantibus; ut in pace felicissimus, in bel-
lo vivas Victor & Triumphator gloriosissimus.

Sed iam, o Magne REX, magnitudine laudum
Tuarum fatiscens, minimam licet partem earum de-
libaverim; cum maiora vrgeant, quàm quæ tenui-
bus celebravi modulis, grandi succumbere cogor
argumento; stupenda Tuorum miracula gestorum
convenientius iudicans voto deprecari, quàm lan-
guescente oratione deprimere: ad eum; qui Te ele-
git, vota verto.

128

Summe DEUS, de cuius munere veniunt, *falsis*
& faustitas Regnorum, & suprema Regnantium po-
testas; SERENISSIMUM REGEM Nostrum AU-
GUSTUM II. Tua singulari gratia rebus Polonis
provisum, tanquam Tuum beneficium, & donum,
quò non præstabilius ullum, perpetuum esse velis.
Non decet enim Tuos singulares favores fas morta-
le habere, qui ipse singularis & immortalis es. Agno-
scimus grande indulgentiæ Tuæ in rem Poloniam ar-
gumentum, quod occidentibus, vel propè casuris
rebus nostris Alcidas hunc, os humerosq; Iovi To-
nanti similem, tanto ponderi levando, & in pristi-
num statum erigendo destinaveris, & admirabili
Electoris Populi plausu, consensuq; REGEM dixe-
ris. Fave beneficio Tuo Regum Rector Regno-
rumq; & ne felicitatem hanc, sub qua respirare inci-
pimus, cæli fataq; invidiant, prohibe. Turbidum
omne, funestumve in publicum nefas erupturum,
redde tranquillum; & flecte salutare in melius Rei-
publicæ. Decumanis tot malorum iactati fluctibus,
iam in portu, & nondum omnino tranquillitatis pu-
blicæ securi consistimus. Tabulas extremi naufragij,
sub Rege cui dexteram Tuæ potentia adesse
confidimus, colligentes læti, in spes meliores assur-
gimus. At ne placidum æquor turbet nimbofus
Orion, Tu malaciam impera. Sic AUGUSTUS
Noster, Te favente desuper & protegente, in discrimina
omnia excelsum tollet animum, & ingentibus
ausis Sarmaticum Fidei Catholicæ devotum
proferet Imperium. Sic Gens Polona
augustam Tuam circa Regnum
hoc Protectionem in REGE
ÆTERNUM ADORABIT.





2379/20

7892/M